

ac securitate in omni passim Christiano orbe fieri posset. Nunquam satis deplorari potest, quòd Euangelij Dei veritas tam est plerisq; Christianis peregrina & incognita facta, vt quam obuijs vlnis complecti debebant, cane peius & angue detestentur, ac professores illius ferro & igne extinctos cupiant. Non infector Ecclesias nomini Christi nuncupatas, sed miseriam temporum, non nostrorum duntaxat, sed & priscorum deploro: qua inde ab Apostolorum ætate factum est, vt sub titulo Ecclesiæ Christi membra veræ Ecclesiæ vnà cum ipsa salutis doctrina prepostero sint zelo damnata & exagitata: haud secus, quàm sicuti accidit prophetis Dei in ipso populo Dei. Calamitas ista pijs hominibus semper habita est maxima: nec dubito quàm plurimos esse etiam hac ætate sincerè Christianos, quib. admodum doleat, quòd propter Euangelium Dei, Christiani à Christianis tam miserandis modis proscinduntur, exagitantur, proscribuntur, & in nonnullis etiam locis crudelissimè trucidantur: quæ fanè crudelitas vt vt Pontificum assentatoribus, & hominibus cæco zelo præditis ex animo arrideat, sic tamen omnino est comparata, vt & Christiani nominis hostes exhilaret, ad irridendamq; religionem nostram excitet, & siagellum irati Dei omnium iustissimum pariter ac seuerissimum prouocet. Neq; obscura illius præludia præcurrunt. Diuulsa sunt à se inuicem Ecclesiæ Christi membra. Capitib. inter se parum est concordia. & si qua cohærent adhuc, cohærent simulanter, non ex animo. Regnant homines, quib. olim ne ingressus quidem ad Ecclesiam Dei fuisset permissus. Nec regnant modò iuxta seculum, sed in causa fidei crudelissimè dominantur, & tantum non palàm tam Deo quàm fidelibus omnibus securissimè illudunt. Excrescunt omnis generis flagitia, idque multis in locis prorsus impunè. Imò non licet impunè studere pietati innocentia: & vt ille ait, de DEO nec malè nec bene loqui conceditur. Corripimur subinde peste annonæ caritate, ac rumoribus bellicis. Visuntur in cælo spectra & portenta, crebra pariter & horrenda, flagelli Dei breui sequuturi prænuncia. Paucissimi sunt, qui sic exterreantur, vt ad veram resipiscentiam permoueantur. Infidiatur orbi Christiano gladius Turcicus, maximam illius partem iam olim ad modicas vsq; reliquias depastus. Nec desunt, qui optent etiam, vt quicquid super est Christiani nominis sub potestatem Turcicam, quasi refugium quoddam à facie præsentium malorum, subijciatur. Qui ista Christiana mente considerat, non immeritò magni ducit, si quos, præsertim magistratus,